

men ex se habet esse intellectam in actu a se ipsa, quantum ad id quod pertinet ad ipsum esse intelligibile in actu intrinsece, ut autem sit intellecta ab isto, vel illo intellectu creato solum requiritur, quod sit illi applicata. Verbum autem non ponitur ut objectum reddat intellectum denominative extrinsece, ad hoc enim sufficit ipse actus intelligendi qui extrinsece tangit objectum, sed requiritur, quod objectum ipsum in se repræsentet secundum ipsam intelligibilitatem intrinsece, quam habet, et qua constituitur in esse intelligibili ultimate, et in actu secundo. Unde si objectum habet hanc intelligibilitatem per modum actus puri, non potest eam in se repræsentare verbum aliquod, nisi in se intrinsece habeat esse intelligibile ejusdem puritatis, et ordinis cum objecto, alias distabit ab ipso infinite, si creatum, et potentiale sit, sicut de specie impressa dictum est. Licet ergo repræsentet objectum ut cognitum seu intellectum ab ipsomet cognoscente, si tamen illud esse intentionale, et intelligibile secundum quod verbum repræsentat, est immediate proportionatum, et adæquatum ipsi intelligibilitati objecti in se, nunquam tollitur implicatio posita circa speciem impressam, quod non potest repræsentare id quod est suum esse intelligibile, et intellectum in actu puro per aliquod esse intelligibile creatum, quale esset in specie creata.

XIII. Quod vero dicitur de locutione beati, et productione verbi ex fecunditate, respondetur hanc locutionem, et expressionem tunc habere locum, quando verbum ipsum sic locutum, est capax exprimentendi, et repræsentandi ipsum objectum sub ea intelligibilitate, quam in se habet, ut patet in Verbo divino, quod per modum locutionis notionalis procedit, sed cum tota intelligibili-

tate quæ est in ipso Deo, et sic est Deus. Quod non potest stare in Verbo creato, et ita implicat etiam per modum locutionis verbum produci.

XIV. Quod vero dicitur de verbis partialibus, et inadæquatis, manifestam etiam involvit repugnantiam, quia repræsentatio unius attributi, et non alterius, seu creaturarum prout intra Deum, et ex vi divinæ essentiæ cognitarum, vel fit per cognitionem attributi, ut est in se secundum eandem intelligibilitatem, quam in se habet, vel secundum connotationem, et respectum ad creaturas per ordinem ad quas distinguuntur attributa ab intellectu cognoscente illa inadæquate, et non ut sunt in se. Hoc secundum stare non potest in visione clara, et specie expressa repræsentativa Dei in se, de qua solum loquimur in præsentia. Si vero dicatur primum, currit implicatio sæpius posita, quod intelligibilitas illa attributi in se est intelligibilitas actus puri, cui non potest correspondere intelligibilitas speciei, quæ sit aliquid creatum, et potentialitati admixtum in esse intelligibili. Si vero est esse intelligibile in actu puro, et increatum est Deus. Et similiter si creaturæ repræsentantur prout in essentia divina, prius divina ipsa essentia repræsentatur, et sub ejus intelligibilitate creaturæ, de illa ergo curret argumentum factum. Quare non formantur conceptus de attributis, ut distinctis a beatis nisi cognitionem Dei extra verbum, qua cognoscunt illum ex effectibus, et in hoc sensu loquitur D. Thomas in 1, dist. II, q. I, art. III, quando de distinctione attributorum loquitur etiam facta ab his, qui alias vident Deum, licet per visionem beatam videat illa attributa esse distinguishibilia a nobis, sicut ipse Deus id videt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo, arguitur aliquibus auctoritatibus D. Augustini et D. Thomæ. Nam D. Augustinus loquens de visione beata in XIV, Trinitate de cap. XVII: « In hac, inquit imagine tunc perfecta erit similitudo, quando Dei perfecta erit visio. » Et XV de Trinitate, capit. XVI: « Illud quoque fatendum est, inquit, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est, nec tunc natura illi erimus æquales, et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque falleremur, et in illa visione non erunt volubiles cogitationes nostræ ab alia in aliam redeuntes. » Et clarius in IX de Trinitate, c. VII: « In illa inquit æterna veritate formam, secundum quam sumus, ut sumentis concipimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tamquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus. » Auctoritas D. Thomæ est infra quæstione XXVII, art. I: « Quod quicumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectæ. » Ubi s. doctor loquitur universaliter non solum de intellectione naturali, sed etiam de beatifica, alias quomodo posset inde probare, quod in Deo procedit verbum, si assumeret propositionem, quæ non de omni intellectione verificaretur. Item in quæstione IV de verit. artic. II, dicens, quod verbum intellectus nostri est id ad quod operatio intellectus terminatur, et est aliquid realiter progrediens ab altero, subdit: « Quod universaliter verum est de omni, quod a nobis intelligitur, sive per essentiam videatur, sive per similitudinem. » Ergo contra Div. Thomam asserimus, quod in visione beata, in qua

Deus videtur per essentiam, non formatur verbum.

XVI. Respondetur ad primam auctoritatem Augustini quod non loquitur de imagine, quæ est verbum formatum a nobis per intellectionem, sed de imagine naturali, quæ est anima, quæ dicitur facta ad imaginem Dei, hanc dicit Augustinus perficiendam tunc per visionem Dei. Ad secundum locum respondetur, quod Augustinus non loquitur de verbo formato, et producto a nobis, sed solum dicit, quod in illa visione verbum nostrum non erit falsum, quod optime verificatur de verbo creato, quod dicitur nostrum, quia tunc erit menti nostræ unitum et non erunt volubiles cogitationes, id est, actus intelligendi, sed scientiam nostram uno simul conspectu videbimus, id est, unica visione, non tamen verbo formato a nobis. Ad tertium locum respondetur Augustinum ibi non loqui de visione beatifica, sed de veritate, seu rationibus æternis, id est, regulis rationis, quibus conspicimus qualis mens nostra esse debeat, et secundum quas vera, et recta ratione operamur, ut in ipsomet loco dicit Augustinus. Quod utique etiam in hac vita conspicimus, quia non est aliud, quam ipsa lex æterna, quæ nobis notificatur per principium rationis, de quo videatur D. Thomas I part. qu. LXXIX, art. IX, et aliis locis, in quibus agit de rationibus æternis.

XVII. Ad primam auctoritatem D. Thomæ omissa eorum solutione, qui existimant ibi D. Thomam solum reddere quamdam congruentiam ex his, quæ in nobis communiter accidunt ad probandum in Deo dari Verbum, quia sic videmus dari in nobis, non tamen quia semper, et in omnibus detur, quæ tamen congruentia sic accepta non esset conveniens, diceret enim Aria-

nus, quod si in nobis solum, quando imperfecte cognoscimus et in via, producit verbum, non vero in visione perfectissima beata, quomodo inde possumus manuduci ad persuadendum, quod in Deo qui summæ perfectionis est in intelligendo datur processio Verbi? Quare magis ad litteram et intentum D. Thomæ loquendo, dicendum est quod illa propositio: Quicumque intelligit ex hoc, quod intelligit producit verbum, etc. intelligenda est secundum distributionem accommodam pro generibus singulorum, non pro singulis generum, quasi dicat, in quocumque genere intelligentium, ex eo quod intelligit, id est, quia naturæ intellectivæ est convenit illi habere verbum, inde enim consequentia deducta efficax est: ergo in Deo, quia naturæ intellectivæ est debet poni processio Verbi. Et hoc intendebat D. Thomas et non amplius; nec enim volebat nisi probare contra Arianos, et Sabellianos, intra Deum debere poni processionem Verbi, non vero ejus intentum erat probare, quod quodlibet individuum seu quælibet persona intelligens producit verbum, id enim nec ejus intento deserviebat, quia solum volebat probare absolute, et indefinite hanc processionem in Deo esse admittendam, nec erat possibile sic verificare proportionem illam in Deo, cum Verbum et Spiritus Sanctus intelligant, et non producant verbum. Solum ergo intellexit hoc de quocumque intelligente, id est, de quocumque genere, et natura rei intelligentis, in qualibet enim debet dari processio Verbi, esto non detur in omni individuo, et in omni individuali intellectione. Et quod hæc sit D. Thomæ mens, deducitur ex eo quod infra quæstione xxxiv, art. 1 ad iv, afferens eandem propositionem: Quicumque intelligit producit

verbum, etc. ut ex illa probet etiam Filium in divinis producere verbum; respondet, quod quia est Deus genitus, non autem generans Deus, est intelligens, sed non producens verbum. Signum ergo est, quod illam universalem, quicumque intelligit, et nusquam accepit S. Thomas in omni latitudine, sed sub intellecta restrictione pro intelligente fecundo, aliquod enim tale intelligens in omni natura intellectiva debet inveniri; ergo et in Deo.

XVIII. Ad alium locum ex quæstione iv de veritate respondetur D. Thomam loqui universaliter de omni eo, quod a nobis intelligitur, sive per similitudinem, sive per essentiam, quæ non est actus purus, nec totum suum esse in genere intelligibili, sicut cum Angelus, vel anima separata cognoscunt seper suam propriam substantiam, et famen formant verbum de se. Ratio est, quia S. Thomas reddit rationem illius propositionis ibidem dicens, quia conceptio est effectus actus intelligendi. Loquitur ergo de eo, quod intelligitur per essentiam talem, quod potest respicere conceptionem suam ut effectum, non autem ipsa essentia est ipsa conceptio, et ipsum intelligi in actu ultimo. Et in tali essentia quæ per se ipsam non est verbum, et conceptio sua, sed verbum, est effectus, necesse est, quod ad intelligendum formetur, et fiat verbum. Essentia autem divina per se ipsam est ipsum intelligi in actu ultimo, nec habet conceptionem suam ut effectum, potest ergo vim conceptionis supplere in intellectu creato per unionem intelligibilem, sicut et vim speciei impressæ. Juxta hanc explicationem glossanda est doctrina Anselmi in menologio, quod formatur verbum in nobis quodcumque intelligimus, scilicet quando intelligimus per speciem creatam, et nobis proportionatam, non

ita elevatam, quod sit suum verbum, et suum intelligi.

XIX. Secundo arguitur, quia etiam si verbum ponatur in nobis non ut terminus actionis, et propter necessitatem terminandi illam, sed propter necessitatem ipsius objecti, ut reddatur sufficienter intellectum, et approximatum seu præsens intellectui, adhuc est necessarium in visione beata producere verbum: ergo non est negandum. Patet consequentia, quia totum nostrum fundamentum ad hoc reducitur, quia objectum, quod est essentia divina est totum suum esse in genere intelligibili, et ita præsens intime potentia, quod per nihil creatum potest fieri intellectum in actu et magis præsens, ergo si hoc non obstat, ruit nostrum fundamentum. Antecedens probatur, quia verbum requiritur, ut reddatur et representetur objectum intellectum non ab alio intellectu, sed ab ipsomet, qui per tale verbum intelligit, quod enim sit intellectum ab alio, impertinens est, ut mihi reddatur præsens et intellectum in actu, sed divina essentia est quidem per se ipsam intellecta a se, non tamen per se ipsam intellecta a me, sed id habet dependenter a meo intelligere, alias semper esset intellecta a me, cum tamen ego modo non videam illam: ergo essentia divina non potest servire pro meo intelligere, ut reddatur intellecta a me in facto esse, et sic non potest supplere vim verbi per essentiam suam respectu mei. Confirmatur, quia licet Deus possit denominari de novo intellectus denominatione extrinseca a mea intellectione, non tamen potest de novo denominari, et reddi intellectus intrinsece, hoc est representans se ut intellectum (hæc autem representatio convenit intrinsece ipsi verbo) sic enim mutaretur intrinsece divina essentia, sed ut suppleat vicem verbi in

nostro intellectu requiritur, quod essentia divina representet se, non solum ut intellectam a se, sed ut intellectam a nobis, quod ab æterno non habet cum ab æterno nos non viderimus ipsam, et consequenter non nisi falso representaret esse intellectam a nobis, ergo necesse est formari verbum in tempore, ut hoc representet, et sine isto non potest essentia divina vicem verbi habere in nobis. Et idem probatur ratione præsentia seu approximationis objecti, nam licet substantia Angeli sit intime præsens suo intellectui, adhuc format verbum in cognitione illius, ut docet S. Thomas iv contra gent. c. xi, ergo licet essentia Dei sit intime præsens, potest de ea formari verbum a beatis.

XX. Respondetur requiri quidem verbum, ut objectum intellectum ab ipsomet cognoscente per modum termini; sed ad hoc non requiritur ut sit productum et formatum ab ipsomet cognoscente, sed sufficit, quod ei uniatur, et sic reddat objectum, quod in ipso verbo representatur intellectum in actu, etiam intellectum ab isto, cui unitur. Et licet ab isto intelligere cui unitur non accipiat objectum nisi denominationem extrinsecam intellectu, tamen vere, et proprie terminat ipsam intellectionem non quasi dictum seu productum a tali intelligente, sed ut contemplatum, ad hoc enim ut sit terminus contemplationis sufficit, quod verbum ipsum sit conjunctum intellectioni, non autem ab eo formatum. Nam etiam in nobis postquam intellectus dicendo format verbum, contemplatur objectum in eo representatum. Et tunc contemplatio non producit verbum, sed productum unitur, eique conjungitur, et in eo contemplatur rem expressam, et representatam. Et cum instatur quod hoc ipsum, quod est esse intellectum, seu contemplatum ab ipso-

met intelligente debet repræsentari in verbo, per quod intelligit, negatur; hoc neque enim requiritur, quod quando formo verbum repræsentetur res intellecta a me, quasi signate et reflexe, et ut res repræsentata, sed quod ipso exercitio attingatur a me, sive in verbo a me producto, sive ab alio producto, mihi unito: sicut est probabile conceptum productum a Petro posse a Deo uniri meo intellectui, sicut posset poni separatus ab omni subjecto, et tunc eliciendo intellectionem circa talem conceptum mihi unitum in illo possem intelligere rem repræsentatam sine hoc, quod procederet ille conceptus a mea intellectione. Quare non est necesse conceptum ipsum repræsentare objectum ut intellectum in actu signato ab ipso intelligente, sed sufficit repræsentare objectum, non per modum principii intelligibilis sicut in specie impressa, sed per modum termini intellecti in ipso exercitio, et per hoc, quod jungatur huic, vel illi intellectui elicienti intellectionem circa idem objectum reddi cognitum denominative ab isto.

XXI. Ad confirmationem respondetur non requiri quod essentia divina repræsentet se ipsam ut intellectam ab isto, vel illo intellectu formaliter, ut possit in eo supplere vicem verbi, sed sufficit, quod per se intrinsece sit actu intellecta a se, et uniatu intellectioni alterius, ut per talem applicationem reddatur etiam intellecta ab isto, non quia per illam redditur simpliciter intellecta, sed intellecta ab isto, quod est reddi intellectam finito modo, ad quod non requiritur, quod intrinsece immutetur, et reddatur intellecta simpliciter, sed solum reddatur intellecta ab isto, ad quod sufficit sola denominatio extrinseca in ipsa essentia sic intellecta, et intellectio intrinseca in intelligente, per quam uniatu intellectionem illius intellectionis ad se.

cut Persona divina per se ipsam intrinsece est persona subsistens, redditur autem persona humana per hoc, quod uniatu naturæ, nec requiritur quod in se mutetur intrinsece ut sit persona humana, sed solum quod uniatu naturæ per unionem immutantem ipsam naturam, et extrinsece denominantem personam. Sic quando verbum redditur formatum per aliquam intellectionem, intrinsece immutatur, seu constituitur dependenter ab illa intellectione. Si autem uniatu alteri intellectui, et intellectioni, non redditur intellectum respectu hujus per novam repræsentationem intrinsecam in se, sed extrinsece per unionem illius intellectionis ad se.

XXII. Ad id vero quod dicitur de substantia Angeli, quæ est intima intellectui, respondetur quod licet sit intima ipsi potentiæ, non tamen ipsi operationi, ita ut per se ipsam sit suum intelligere, sed intelligere est operatio distincta, utpote accidentalis, et consequenter substantiam ipsam esse intellectam est accidentale Angelo, utpote consecutum ex operatione accidentali. Et sic requiri verbum superadditum ipsi substantiæ, ut constituatur in esse intellecti, non tamen requirit speciem impressam ut reddatur intelligibilis in actu primo, hoc enim non dependet ab aliqua operatione accidentali, sed ante omnem operationem ex propria immaterialitate habet esse intelligibilis in actu primo, et per se ipsam uniatu potentiæ, cum sit ejus subjectum, et sic per se ipsam reddit actuatam in ratione principii, non autem est præsens ut intellecta in actu per modum termini, et rei intellectæ ipsi potentiæ, nisi supponendo operationem accidentalem, per quam formetur accidentaliter in ratione intellecti, et sic requirit verbum accidentale superadditum.

XXIII. Tertio, arguitur quia intel-

lectio, vel est actio productiva de prædicamento actionis, vel est qualitas non producens, sed producta. Si hoc secundum, ergo supponit actionem, per quam producatu, et illa erit intellectio per modum actionis, et in fieri, illa autem qualitas erit intellectio in facto esse, et sic erit verbum, quia illa qualitas debet esse similitudo, et repræsentatio rei, alias non apparet ad quid deserviat, et quem effectum formalem habeat distinctum a specie impressa, et expressa. Si vero est actio: ergo habet terminum, est enim in intelligibile, quod detur actio, et quod nihil agat, et ille terminus erit verbum. Quod si dicatur, quod illa intellectio non est actio formaliter, sed qualitas, virtualiter autem est actio, contra est, quia sive formaliter, sive virtualiter vere tamen est operatio: ergo debet terminari ad aliquid operatum, et ad aliquid factum: nam si in beatis est intellectio in facto esse, oportet quod detur aliquid fieri illius et illud erit actio producens. Si autem est intellectio in fieri, oportet assignari aliquid factum esse, et hoc erit verbum. Confirmatur, quia multa sunt in beatis, quæ requirunt poni hoc verbum productum in illis. Nam in primis datur in beatis formalis notitia, et conceptus de Deo, qui enim intelligit vere concipit, et notitiam formalem habet, notitia autem formalis est similitudo, et repræsentatio objecti, et similiter et conceptus, si quidem reddunt objectum præsens intellectui, quod non fit nisi per repræsentationem, similiter intellectio trahit rem intellectam ad se, non autem trahit mediante specie impressa, quia istam supponit, et ab ea procedit, ergo mediante expressa. Denique, beatus potest loqui, et manifestare id quod intelligit, saltem sibi ipsi, ergo potest formare aliquid verbum, quia loqui formaliter

est producere, et emittere verbum, sicut generare est producere filium; non autem sufficit sibi uniri verbum ab aliquo productum, ut dicatur loqui per illud: ergo ad loquendum indiget formatione verbi. Et confirmatur secundo, quia verbum est terminus vitalis intelligendi, sicut intelligere est actus vitalis, ergo sicut Deus non potest supplere actum vitalem intelligendi per suam intellectionem increatam, ita nec verbum. Consequens patet, quia non minus repugnat suppleri aliquem terminum vitalem, quam ipsum actum vitalem, non enim potest suppleri, quod aliquis sit filius alterius, si non processit ab illo, quia esse filium est esse terminum vitalem generantis; ergo neque potest suppleri, quod aliquid sit terminus intellectionis, seu verbum nisi procedat ab illo ejus verbum est. Unde quia de ratione verbi est, quod procedat ab intelligente, ideo non est necesse, quod sibi communicetur intelligibilitas increata, sed solum ea, quam intelligens creatum concipit de objecto. Et ita sicut non repugnat quod detur intelligere activum de Deo in se, ita nec repugnabit, quod detur intelligi passivum.

XXIV. Respondetur quod ut late probavimus in libris de anima, quæst. XI, art. I, actus immanentes non sunt formaliter actiones, de prædicamento actionis, licet virtualiter, et eminenter possint habere rationem actionis quatenus sunt actus secundi, licet non semper de necessitate producant. Et sic distinguitur a D. Thoma I contra gent. cap. C operatio immanens ab actione transeunte: « Quod per illam non sit aliud præter ipsam operationem, sicut in videre, vel audire, et ita comparatur ad operantem sicut finis, non sicut via ad aliquid operatum, et factum. » Quare intellectio ut est actus, et operatio intelligentis